

/ Admodum R/de Pater,

Accepi litteras R.V. et mox adivi Summum Pontificem, et narra-
vi omnia, quae R.V. ad me scripserat: et voluit ipsemet litteras
ipsas videre, et legere. Et primum miratus est, quod Legatus Re-
gis, nomine ipsius Regis petierit illam dispensationem. Et cum ego
dicerem, non esse credibile quod Legatus nomine Regis petierit il-
lam dispensationem: Papa substitit aliquantulum, et addidit, mihi
omnino videtur, illum petiisse nomine Regis, alioquin non conces-
sissem dispensationem pro puero octo annorum. Sed quidquid sit de
hac re, scribas Confessario Regis, mihi non solum non displicere,
ut christianissimus Rex non conferat beneficium illi puero, sed
valde placere, ut non conferat. Serio enim laudavi, et nunc iterum
laudo optimum Regis propositum, non conferendi ejusmodi beneficia,
nisi iis, qui pervenerint ad aetatem legitimam.

15 Haec Papa. Ego autem laudo vehementer decretum piissimi, et sa-
pientissimi Regis, et R.V. non dubitet significare tum ipsi Regi
christianissimo tum ill/mis Cardinalibus, ut non curent istam dis-
pensationem, quemadmodum Papa ipse non curat. Nescio an in episo-
tola R.V. sit aliquid aliud, quod responsione indigeat. Nam Summus
Pontifex retinuit sibi litteras illas, animo quidem restituendi,
sed postea discessit ex Urbe, et profectus est Tusculum, neque re-
dibit, nisi post octo dies, et ego nolui tamdiu differre respon-
sionem. His valeat R.V. mei memor in sanctis precibus suis, qui-
bus tanto magis indigeo, quanto magis propinquo ad ultimum senium,
25 ac per hoc ad finem peregrinationis meae. Romae, die 12. Octobris
1619

R.V.

frater, et servus in Christo